



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Militarivm Ordinvm Origines, Statvta, Symbola, Et Insignia, Iconibus, additis genuinis**

**Mennens, Frans**

**Maceratae, 1623**

Widmung

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10718**



ILLVSTRISSIMO,

AC EXCELLENTISSIMO D.

D. ANTONIO BARBARINO

COMMENDATORI,

*Et Equiti Hierosolymitano, ac Sanctiss. D. N.*

PAPAE VRBANI VIII. NEPOTI &c.

OPTIMO PATRONO.



Tanta natura comparatum est, Illustriss. ac Excellentiss. Domine, vt eos, quos in eo Virtutis genere, quo maximè delectantur; supra cõmunè hominum gradum excellere conspexerimus, iocunda quadã admiratione sæpè mente versemus, & deuoto, atq; humilicordis diligamus, ac veneremur affectu: quod si cæterorum maximi bonorum suapte natura ad inuicem connexorum accesserint ornamenta, sapientum, ac proborum hominum opinione, & publica liberè peruagante fama, gloriaq; conspicua, iam in eos veluti in idæas, & exemplaria, quorum similitudinem aliqua saltèm ex parte conamur attingere, toti propendimus, & vi quadam intimè nobis in-

✠ 2. sita,

4  
sira, vt in propria bona (liberè tamen, & volentes) agimur.  
Hoc mihi non reffugit Illustris. ac Excellentis. Domine,  
imo toto iam ferè patet orbi, cum sit perspicuum Vrbi, qua  
insignis animi constantia, pietate, religione, ac omnium  
virtutum genere; quæ veluti prætiôsæ regio insitæ diade-  
mati fulgore quodâ cœlesti nitidæ gemmæ, virtutes omnes,  
non humanæ tantum, sed & super cœlestes semper mirificè  
te decorant. Quare cum cæpisssem mecum ipse tacitus co-  
gitare, cui nam equestrium delicias meæ curæ vt typis ex-  
cuderentur demandatas, tamquã dignissimo consecrarem,  
in ipso cogitationis exordio adfuit cû consilio statim simul  
electio. Nam opus ipsum Equitem Egregium, sub cuius  
patrocinio tutum prodiret in lucem, satis apertè per se se  
postulare videbatur. Itaq; hoc quodcunq; sit illud tibi  
humiliter offero, ac dono; te huic exiguo animi mei in te  
obsequij signo hilari vultu annuere præcor. Tuq; ò Volu-  
men tanto dignatus patrono: eius conspectui lætissimè, te  
versandum, ac probandum offeras: censor est enim æquis-  
simus, cuius iudicio, si semel placueris, perpetuò viues, nec  
cuiusquam aduersa iudicia formidabis: & quam mihi  
denegant interposita longa terrarum spacia, oris, & cordis,  
& corporis humilimam reuerentiæ significationem Illu-  
strissimo, & Excellentissimo Domino meo, ac Patrono Co-  
lendissimo coram exhibere, tu præsens perface, signis, &  
characteribus loquere. Anconæ die 25. Decemb. 1623.

*Illustris. ac Excellentis. Dominationis vestræ*

Seruus addictissimus

*Franciscus Manolesius.*